



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCCLII. ad annum CCCCLXXX.

**Parisiis, 1644**

Concilivm Contra Haeresim Pelagii Et Caelestii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14918**

LXXIV.

## CONCILIVM DE COGNITIONE

EPISCOPI.

Hæc Synodus habita est Carthagini, anno Christi 409. Quid in ea gestum sit, præter id quod hic scribitur, non constat.

Cod. Can. cap. 107.

Anno 410. De hoc Concilio diximus supra in notis Concilii Africani VII. sub Innocentio.

**G**LORIOSISSIMIS imperatoribus Honorio VIII. & Theodosio III. Augustis consulibus, xviii. Kalendas Iulias, Carthagine, in basilica secunda. In hoc Concilio placuit, vt non sibi vnus episcopus vendicet cognitionem.

LXXV.

## CONCILIVM CONTRA

DONATISTAS.

**P**OST consulatum gloriosissimorum imperatorum Honorii octauum, & Theodosii tertium, Augustorum, xviii. Kal. Iulias, Carthagine, in basilica regionis secundæ. In hoc Concilio legationem susceperunt contra Donatistas Florentinus, Possidius, Præfidius & Benenatus episcopi, eo tempore quo lex data est, vt libera voluntate quis cultum Christianitatis exciperet.

## CONCILIVM CONTRA HÆRESIM

PELAGII ET CÆLESTII.

*Quod Adam non sit factus a Deo mortalis.*

Hoc Concilium habitum est sub pontificatu Zosimi, de quo vide notas eiusdem Concilii.

Cod. Can. cap. 108.

**G**LORIOSISSIMIS imperatoribus Honorio XII. & Theodosio VIII. Augustis consulibus, Kalendis Maii, Carthagine, in secretario basilicæ Fausti, cum Aurelius episcopus in vniuersali Concilio confedisset, adstantibus diaconibus, placuit omnibus episcopis ( quorum nomina & subscriptiones inditæ sunt ) in sancta Synodo Carthagenensis ecclesiæ constitutis,

LXXVI.

De consecr. dist. 4. Placuit igitur omnibus episcopis, & in Concilio Mileuitano II. cap. 1.

Cod. Can. cap. 109.

Vt quicumque dixerit, Adam primum hominum mortalem factum, ita vt siue peccaret, siue non peccaret, moreretur in corpore, hoc est, de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturæ, anathema sit.